Krotik Nicolai: Assertiones theologicae de scientia Christi et de bonitate ac malitia actuum humanorum.

ASSERTIONES THEOLOGICAE,

De ſcientia Chriſti,

ET

De bonitate ac malitia actuum humanorum:

A

F. NICOLAO KROLIK ORDINIS EREMItarum, *S. Pauli primi Eremitæ præsbytero, ad diſputandum publicè in Alma Academia Cracouien:*

Propoſitæ.

Superiorum permiſſu.

Præſidente R.do D. M. ANDRAEA SCHONEO S. *Theologiæ*, & I. V. *Doctore*.

CRACOVIAE,
In Officina Baſilii Skalski, Anno Domini,
1611.

Insignia Gentis Ociescianæ.



DAt Crucis & Soleę virtus tibi Stemmata Christi,
Nam tua tutata est dextera firma fidem:
Quam nunquam impuri fædauit dogma Lutheri,
Nec Caluine tui dira venena doli.
Et quia belligerę persensit robora mentis,
Regales fasces obtulit illa tibi.
Iure igitur bino Ociesci veneraris honore,
Nam solea est patrię Crux metuenda Dei.

ILLVSTRI

ILLVS. AC GENEROSO D.

DOMINO IOANNI OCIESKI,

de Ocieszyn, &cæt.

Domino & patrono suo benignissimo.

DVM mecum tacitus cogitarem, Illustris & Generose Domine, cuiusnam patrocinio & fauori meum hunc in Theologica facultate totius biennii laborē offerre deberem, non fuit quod diu anceps hærerem: Tu etenim occurristi, quem vultui meo innumera in nostram familiam Heremiticam merita repręsentarunt. Si enim ea (teste Cicerone) est vis virtutis, vt eos quos nunquam vidimus, propter ali-

cuius virtutis in eis excellentiam diligamus, quo amore & obseruantia in te, Illustris & Magnifice Domine, ferri debeam? cuius insignis & heroica humanitas, qua omnes litteris addictos complecteris, in ore non solùm nostro; sed etiam omnium versatur. Huc accedit iudicium & sapientia, quod te eum esse sciam, qui ad virtutum ornamenta, liberalium etiam disciplinarum cognitionem eximiam adieceris. Priuata beneficia, quæ in me hoc toto biennio contulisti; id etiam á me extorserunt, vt quanto expressiora propensissimæ voluntatis tuæ mecum repeto indicia; tanto semper impensius de relinquenda apud eandem grati animi testificatione cogitem. Quare etiamsi hoc munus valde exiguum tenueque sit præ magnitudine meritorum Tuæ Domi-

natio-

nationis in nostram familiam Paulinam, tua tamen humanitas sperare me fecit, fore, vt tua Illustris & Magnifica D. non parui id ducat, quod ex magna proficiscitur voluntate obseruantiaque erga ipsam. Vale. Dat: Crac: ex Conuentu nostro S. Stanislai in Rupella, die 26. Decembris, Anno Domini, 1611.

Illustris ac Generosę D. T.

humillimus cliens

F. Nicolaus Krolik, Ord: S. P. P. E, Presbyter.

Quæstio

QVÆSTIO

Vtrum in Christo vero Deo & homine præter diuinam scientiam increatam, alia triplex creata, distincta obiectis et actibus, nimirum Beata, Infusa, seu Indita & Acquisita, poni debeat nec ne?

CONCLVSIO PRIMA.

In Christo Domino vt duplex est natura intellectualis; ita etiam duplex scientia est, necessariò distinguenda.

COROLLARIA.

I. Christus Dominus præter diuinam habuit quoque creatam cognitionem.

II. Fieri non potest, vt creatura cognoscat aliquid per cogni-

cognitionem diuinam.

III. Fieri non potest vllo modo vt diuinitùs illud suppleatur à quo res creata formaliter dependet.

IIII. Intellectus creatus Christi vt habuit actus sensuum, ita & actus intelligendi creatos eundem habere erat necesse.

CONCLVSIO II.

Christum habuisse scientiam beatam ante resurrectionem est de fide.

COROLLARIA.

I. Non est de fide animam Christi à primo instanti Conceptionis suę fuisse beatam; ita vt id negare sit hæresis, quamuis sit temerarium.

II. Per hanc scientiam anima Christi beatißima cognouit ea omnia, quę Deus nouit, scientia visionis, & aliqua ex iis, quę sunt simplicis intelligentiæ.

III. Per eandem scientiam, nouit omnia Christus quæcunque sunt de potentia creaturę, etiam damnatę.

IIII. Hæc scientia animę Christi beatißimę, & in esse cognitionis, & scientię simpliciter est finita.

CONCLVSIO III.

Datur in Christo Domino scientia infusa.

COR

COROLLARIA.

I. Scientia infusa est notitia à solo Deo producta, & producibilis

II. Per hanc scientiam cognouit Christus Dominus omnia naturalia, supernaturalia, reuelata, liberos actus existentes, omnia libera futura, non tamen vt sunt in semetipsis, sed vt in attestante.

III. Hàc scientià vtebatur Christus pro arbitrio suo.

IIII. Non tamen quo adomnia excedebat scientiam Angelorum.

CONCLVSIO IIII.

Datur in Christi anima sanctissima scientia acquisita.

COROLLARIA.

I. Per hanc scientiam experimentalem, anima Christi cognouit omnia, quę ministerio sensuum cognosci possunt.

II. Nihil Christus acquisiuit ab angelis, sed omnia à sensibilibus.

III. Sicut scientia infusa ponitur in Christi anima, propter perfectionem intellectus possibilis; ita ponitur scientia experimentalis & acquisita, propter perfectionem intellectus agentis.

Quæstio

QVÆSTIO
Ex pri[a] secundę D. Thomæ

VTrum bonitas & malicia actuum humanorum non ſolum ex obiecto, ſed etiam ex fine & circumſtantiis dependens habeat rationem meriti vel demeriti apud Deum nec ne?

CONCLVSIO PRIMA.

Bonitas & malicia in actibus humanis reperiuntur.

COROLLARIA.

I. Bonitas conuenit rebus naturalibus, artificialibus, & actionibus moralibus, ſecundum analogiam & proportionem quandam.

II. Actus humanus ex eo eſt malus, quia eſt contra legem æternam.

III. Ex actibus humanis dantur aliqui indifferentes ad bonum & malum.

IIII. Dogma Manichæorum & Lutheranorum, omnem actionem humanam eſſe peccatum, aſſerentium, hęreſis eſt.

CONCLVSIO II.

Actuum humanorum bonitas & malicia non solum ex obiecto dependet sed etiam ex fine & circumstantiis.

COROLLARIA.

I. Operatio humana non ex eo habet bonitatem, vel maliciam, quod à libera voluntate proficiscatur.

II. Operatio humana quamuis suam bonitatem & maliciam sumat ex obiecto, ea tamen non est in obiecto formaliter, sed causaliter tantum.

III. Bonitas quę sumitur ex obiecto, non est generica, sed specifica.

IIII. Circumstantię quę mutant speciem actus, non manent amplius circumstantię, sed transeunt in rationem obiecti.

CONCLVSIO III.

Actio humana habet rationem meriti vel demeriti apud Deum.

COROLLARIA.

I. Meritum & demeritum dicuntur in ordine ad retributionem, quę fit secundum iustitiam.

II. Opera bona existentium in peccato mortali non sunt meritoria vitæ æternæ.

Opera

III, Opera bona existentium in peccato mortali conferunt ad remissionem peccatorum non per modum meriti sed per modum supplicationis siue impetrationis.

IIII. Mala opera non possunt esse meritoria apud Deum.